



Prot. N. 298/20/1

BEATISSIME PATER,

Jos Wouters, Abbas Generalis Ordinis Praemonstratensis, sensus devotionis erga Sanctitatem Tuam proprios totiusque Familiae Praemonstratensis pandens, reverenter exponit: S. Norbertus, qui moribus austerus atque totus unioni cum Deo et Evangelii praedicationi deditus, in deserto loco, Praemonstrato nuncupato, prope Laudunum in Gallia, ipsa Nativatis Domini nocte anno MCXXI, cum tredecim sociis Canonicorum Regularium Praemonstratensem instituit Ordinem, qui sub regula S. Augustini mirifice propagatus est. Ad hunc nonagesimum anniversarium diem digne celebrandum, in singulis ecclesiis pastoralis curae Canonicorum Regularium Praemonstratensium commissis, sollemnes habebuntur ritus ac religiosa incepta, a die XXIX Novembris MMXX usque ad diem IX Januarii MMXXI. Quo autem sodales Praemonstratensis Familiae aliisque piis fidelibus divina largitas magis aperiat et inde fructus spirituales abundantiores hauriantur, Rev. mus Orator Indulgentiarum donum ad instar Jubilaei submisit. Et Deus, etc.

Die XXX Octobris MMXX

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Ss. mi D. ni N. ri Francisci Pp., plenariam libenter concedit Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) Canonicis Regularibus Praemonstratensibus aliisque christi-fidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis ad instar Jubilaei lucrandam, si iubilares ecclesias et oratoria in forma peregrinationis inviserint et ibi sacris functionibus rite determinandis devote interfuerint, vel saltem per congruum temporis spatium pro conversione peccatorum, pro sacerdotalibus ac religiosis impetrandis vocationibus et pro defendendo humanae familiae instituto, humiles Deo effuderint preces, concludendas Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque B. Mariae Virginis ac S. Norberti.

Sodales Ordinis Praemonstratensis qui, propter infirmitatem aliasve graves causas impediuntur quominus celebrationibus interesse possint, plenariam consequi valebunt Indulgentiam si, concepta detestatione cuiuscumque peccati, et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, spiritalem desiderio cordis visitationem peregerint et aegritudines vel incommoda propriae vitae Misericordiae Deo per Mariam obtulerint, additis precibus ut supra. Quo igitur accessus, ad divinam ventiam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentiarum enixe rogat ut Canonici Regulares Praemonstratenses, generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant ac S. Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti totum per iubilare tempus valituro. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Maurus Card. Piaccenza
MAURUS CARD. PIACCENZA
Paenitentiarum Maior

Christophorus Nykiel
CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens